



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

bis nō solidi spiritu eripi illa &c. Cæterū quā trem-  
pidēt Palestini propter arcam adductā, hæc historia  
nō tacet, & hodie exempla uidemus. Talis enim est  
scriptura & sacramenta dei si fides adsit, quæ si nō  
adsit, nihil efficies neq; contra homines neq; con-  
tra demones. Sacra externa à deo & spiritu sancto  
nobis data, p̄ solam cordis fidem mihi sacra sunt &  
protectio. &c.

Lapidē adiutorij. Anticipatio est, iſra c. 7.

Deorum.] more suo loquuntur gentes, & arcam  
deos faciunt, quemadmodum suū Dagon.

Duo filij.] Vbi nō est uerbum dei, cadit officiū sa-  
cerdotale, & omnis gloria Israēl. ALLEGORIA.  
Iudæi hypocritæ posuerunt omnē suam gloriam in  
externis, quam fiduciam oportebat quandoq; tolli  
ab eis, dum etiā lex tota abrogata est per Christum,  
ut similes fierent gētibus. Ephe. 2. sed hic maior pars  
imprimis illa capita poplī moriuntur & inuidia con-  
tabescunt, uidentes gloriam suā à se translata.

## CAPVT V.

**S**icut Israëlitæ impie confidunt in arca,  
contempto dei uerbo, cuius illa erat sac-  
ramentum, sic gentes impie eam sibi  
uendicant, & se regnare putant, statuen-  
tes eam iuxta Dagon deum suum. Sunt autem qui



scripturam & sacramenta dei sua esse contendunt, & deum egregie ignorant, ne micam quidem habentes spiritus, id quod ex fructu eorum discipulus Christi uidet. Nam ea statuunt iuxta deum suum. i. iuxta confidentiam operum & traditiones & adinventiones humanas, quas uolunt ex illis confirmare, quasi iam testimonium dei habeant pro suis impietatibus & idololatria, contra primum preceptum, Non habebis deos alienos coram me, contra legem Deut. 16. Non plantabis &c. Et Exo. 32. Non immolabis cum fermento sanguinem uictimae meae, contra prouerbiū, Non haram iuxta aram, contra dictum Christi, Nemo potest duobus dominis seruire. Hi confitentur se nosse deum Israel, ceterum factis negant, dum dicunt se credere deo, etiam opibus suis confidunt. Vt cumque uero uideant suam cum illis stare non posse, imò perditio capite & manibus truncū esse & insipientiam, tamen statuere nituntur, ne sui fiduciam & impium dei cultum relinquunt, quem sibi finxerunt de corde suo.

Quinq; ciuitates maximae Philistinum erant, Azotus, Geth, Gaza, Ascalon, Accharon.

Propter hanc causam. ] Testes sibi sunt & omnibus posteris suae impietatis, dum specie pietatis & religionis perpetuae declarant se colere sui dei impotentiam, quam semel dei ueri potentia ostenderit. Ita impietas ipso dei falso cultu & opibus quasi iustis, testis est sua



impietatis, qd' ijs fudit quæ iuuare nõ possunt, & quæ per uerbum dei uidet damnari.

Aggrauata. Externa dei sacra sine fide, id est sine uerbo dei in corde, cuius illa sunt signa, hoc efficiunt in conscientijs, qd' hic arca in corporibus Palestinorum & agris, ut peant ipsi cum omni fructu eorum, dñ non glorificātes deum, tradūtur in reprobā mentem, ut dicitur Ro. I. & operibus se iuuare uolentes, misere uexant suas cōscientias, & prodūt semetipsos. Excæcati enim suis opibus salutem cōmittunt. Et anteaquidē suū Dagon statuūt & restituūt, ut cūq; stare nõ possit cū arca, sed percussa dei iudicio, omnia uident mortis esse plena. Hic primū nõdum statuunt Israëlitis reddere arcam, ut fateantur se errasse, sed satrapas suos cōuocant, ad humanæ sapiētiae & prudentiæ consilia cōfugiunt ut se iuuēt, deū Israël inuocare non nouerunt. Sed hic malū consilium consultori pessimū. Omnia cedunt in malum, ita ut etiam litera occidat, & iudiciū māduetur in corpore & sanguine domini, tantum abest ut hæc iuuent, ut taceā de adinventionibus humanis. Hic nõ est remediū nisi reddatur arca Israëlitis, & confiteantur Palestini se turpiter errasse & deliquisse, quod abusi fuerint sacris dei absq; fide.